



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,  
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

**Nádasi, János**

**Coloniae Ubiorum, 1667**

19 Junii. 13 Kal. Julii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

S. Elifabeth Virgo.

S. Auberte Ep. Archangelo Michaële familiariter use; ab eodem templum ejusdem nomine construere jussit; eodemque duce, morte beatissimâ immortalitatem adeptus.

S. Calogere senex, qui quoad vixisti, totâ hebdomadâ, excepto tantum die Dominico, jejunasti, non nisi pane & aquâ refectus: & *divino amore incensus* mira in Siciliâ divinitus vidisti atque patrasti. cujus corpus exanime, genibus complicatis, erectâ cervice, extensisque in altum manibus, est repertum.

OMNES SANCTI, &c.

pag. 320.

S. MARIA, qua cuidam te, pro felici morte, precanti, dixisti, te curaturam, ut illius mors non solum sit, ut hominis Christiani, sed etiam, sicut Sancti: impetra mihi mortem, qua sit sicut hominis Christiani verè, & verè MARIANI!

19 Junii. 13 Kal. Julii.

BEATA Juliana Virgo, MARIA à cunctis devotissima; quæ, quot hebdomadis, quartâ & sextâ feriâ nihil, sabbato verò panem tantum &

& aquam, in cibum & potum ad-  
 mittebas; cui pleni semper tenerri-  
 marum lacrymarum oculi, plenum  
 ignis sancti cor; quæ sacratissimo  
 viatico cum ob languentem stoma-  
 chum refici non posses, per mira-  
 culum refecta, blandè ridens ob-  
 dormisti in Domino, & expressam  
 Crucifixi in pectore imaginem re-  
 liquisti. Impetra cordi, ac oculis  
 meis lacrymas salutares; impetra  
 Crucifixum JESUM pectori huic  
 duro: ut doleam nunc omnia mea,  
 & omnia omnium creaturarum  
 contra Deum facta mala; gaudeam  
 de meis, & omnibus omnium  
 creaturarum pro Deo factis bonis;  
 ut æternum videam æterna bona  
 mea, & gaudeam de Dei, & o-  
 mnium Sanctorum æternis bonis.  
 Nemihî, quæso, ullum gaudium  
 temporis eiipiat blandos risus  
 mortis, & gaudium æternitatis.  
 Amen.

Sancti Gervasi, & Protasi, San-  
 ctorum Vitalis, & Valeriæ Marty-  
 rum filii, Martyres; qui sparsis  
 in pauperes omnibus, servis liber-  
 tate donatis, tu, Gervasi, plumbatis  
 ad mortem usque cæsus es; tu verò,  
 Protasi, fustibus percussus, capite  
 truncatus es.

SS. Ursi-

522 ANNI CÆLESTIS

SS. Ursicine, & Zofime, MM.  
post acerbos cruciatus, capite  
cæsi.

Sancti Gaudenti Ep. & Culmati  
Diacone, Martyres.

S. Bonifaci, è musico tui nomi-  
nis, & patroni Martyris gloriâ,  
ad martyrium accense Martyr.

S. Romualde, Camaldulensium  
Pater sancte, hodie mortue, cujus  
cilicio dæmon fugatus est.

B. Michelina, quæ à Cruci-  
fixo felicem, & celerem filio tuo  
mortem impetrâsti: quæ postea  
carnis tuæ hostis, ægrorum ancil-  
la, elephantiasis exesi cujusdam  
dum ulcera singula exosculareris,  
sanâsti.

OMNES SANCTI, &c.  
pag. 320.

*S. MARIA, coram cujus altari, &  
imagine orans S. Romualdus, corde  
toto ad magnam vitæ sanctimoniam  
exarsit, lacrymis abundè persusus.  
Ora, Domina, ut quoties oro te,  
seu Deum per te, semper  
melior redam à  
te!*

20 Junii.